

composito, idcirco eam prima intelligentia sit ex diuersis rebus composita, non poterit esse p se una nisi per unam formam superadditam, & quoniam ab eodem est esse, & unum esse, ea propter cum prima intelligentia sit una per unam formam, igitur per eandem formam habebit esse, & tunc Commentator aduersus istam compositionem hoc erigit fundamentum, Omne compositum est nouum, prima intelligentia est composita eo modo quo dictum est, ergo erit noua. iam uero de eo composite uult Auerroes nouum esse affirmari, quod in minori de prima intelligentia prædicatur, nisi illud temere affirmare uolueris, quod diuerso modo compositum in utraque propositione accipitur: at compositum quod affirmatur de prima intelligentia illud est, quod ex diuersis substantiis constat, & ex forma dante esse, ut superius ostensum est. ergo & de hoc composite nouum esse uerificatur: statuimus itaque quod omne compositum ex diuersis substantiis per se unum nouum est, atque posibile: uia autem atque firmissima ratio ad id ostendendum cur huiusmodi compositum nouum sit, non est ratio tradita a Modernis, sed ista, quia omne compositum ex pluribus substantiis quarum altera dat esse, & altera recipit esse, necessario est per se unum, quoniam ab eodem est esse & unum esse, sed unum per se minimè fieri potest, nisi quia unum est actus, & reliquum potentia ad esse, ut habetur 8. Met. cont. 15. sed omnis potentia in substantia, & ad esse, est potentia contradictionis, ut legitur apud Auer. sub initium secundi cap. de Sub. orbis, cuius uerba sunt hac. In cœlesti corpore non reperitur potentia omnino scilicet in substantia, quoniam omnis potentia in substantia est contradictionis, quod ab Aristotele accepit 9. Met. 17. ubi aeterna non habere potentiam, bac ratione ostendit, Si aeterna haberent potentiam ad esse, ergo haberent potentiam contradictionis, quoniam omnis potentia simpliciter, uel in substantia contradictionis est, igitur omne compositum ex pluribus substantiis, ut ex forma dante esse, & ex aliquo recipiente esse, est potentia contradictionis: igitur possibile est, atque nouum, & hoc est firmissimum huius theorematis fundamentum, in quo Auerroes cum Aristotele maxime consentit. Hinc colligere potes quare cœleste corpus cum ex diuersis substantiis compositum sit, non est nouum, sed antiquum: ratio ea est, quoniam non est compositum ex subiecto & forma informante, nam si huiusmodi esset, in eo esset potentia ad formam, & ad esse, & ita esset in eo potentia contradictionis, & forma constituta in esse per subiectum, & proinde esset necessario nouum, atque possibile, sed compositum est ex duabus naturis, ut ex movente & mobili, in quo non est nisi potentia ad ubi, sed fortasse quippe circa hoc ambigere posset, nam superius dictum fuit, quod Auerroes expponens illam Algazelis propositionem, quod omne causatum est possibile, dixit, quod ista propositione non uerificatur nisi in causato composite, unde Auer. accepit